



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. [XV] Utrùm fides sit adhibenda constitutioni Extravagantis Papæ, quæ allegatur in Judicio, si de ea dubitetur, an sit decretalis authentica?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. XV.

Utrum fides sit adhibenda constitutioni Extravagantis Papae, qua allegatur in iudicio, si de ea dubitetur, an sit decretalis authentica?

In c. Pastoralis 8. h. t. statuitur, ut tali Extravaganti, quæ in corpore Juris contenta non est, si juri communi sit consona, fides habeatur, & secundum eam pronuntietur Judex, cum in tali casu sententia Judicis non tam auctoritate Extravagantis talis, quam juris communis nitatur. Si verò non sit juri communi consona, non judicet secundum eam, sed Superiorem, Papam scilicet auctorem constitutionum Extravagantium prius consulat, cum merito de illius fide dubitetur, quæ sub legitima forma non exhibetur.

§. XVI.

De interpretatione, renovatione, & amissione instrumentum?

Instrumenta stricti juris, & consequenter non extendenda ultra contenta, de quibus Notarius rogatus est, & quibus ipse interfuit, passim docetur ab Auctoribus, qui tamen etiam faterentur, ad successores etiam particulares extendi posse, atque non minus pro, aut contra hos fidem facere, atque pro, & contra Auctorem.

Si periculum sit, ne pereant, aut corumpantur instrumenta, revocari possunt, *Argu. c. Cum dilecta 4. De Consp. uti.* Et quidem in absentia partis adversæ, cum res sit modici, & facile reparabilis præjudicij.

Amissio autem instrumenti, si per calum fortuitum contingit, non præjudicat eodem Creditori, si alijs legitimis probationibus debitum v. g. vel tenorem instrumenti probare adhuc possit; neque tamen etiam ei patrocinatur, ita ut non de illius assertioni credatur. Si vero proprio facto Creditoris v. g. amissum sit instrumentum, eò quòd scilicet, fuerit solutionis spe illud laceraverit, tunc probare hoc debet creditor, pro debito stante liberationis præsumptione, nisi contrarium probetur. Et si decepto adversarij debitoris v. g. facto instrumentum interijt, vel amissum fuit, non perinde procedendum in causis privatis est, ac si plenè contra ipsum debitum per instrumentum probatum fuisset, sed in fraudibus & malitijs campus aperitur non autem circa jura Ecclesiæ, quæ, quamvis proprio Prælati sui factum instrumentum perierit, adhuc tamen ad ipsius probanda, si alijs modis tueri non possit, admittitur.

